

biles &c. vel *Nominum*, quò refert secundas intentiones. Hac cum inter se sexies comznentur, totidem oriuntur genera propositionum, & additis iis ubi termini homogenei comznantur (corpusque attribuitur corpori, accidens accidenti, phantasma phantasmati, notio secunda notioni secundæ,) nempe 4, exurgunt 10. Ex iis solos terminos homogeneos utiliter combinari arbitratur Hobbes. Quod, si ita est, uti certè & communis philosophia profitetur, abstractum & concretum, accidens & substantiam, notionem primam & secundam male invicem prædicari, erit hoc utile ad artem inventivam propositionum, seu electionem comznationum utilium ex innumerabili rerum farragine, observare; de qua infra. VI. Venio ad exemplum complexionum haud paulo implicatius: determinationem numeri *Madorum Syllogismi Categorici*. Qua in re novas rationes iniit Johan. Hospinianus Steinanus Prof. Organi Basileensis Vir contemplationum minimè vulgarium libello paucis noto, edito in 8. Basileæ, an. 1560. hoc titulo: *Non esse tantum 36. bonos malosq; categorici syllogismi modos, ut Aristot. cum interpretibus docuisse videtur; sed 512. quorum quidem probentur 36. reliqui omnes rejiciantur*. Incidi postea in controversias dialecticas ejusdem editas post obitum auctoris Basileæ 8. anno 1576. Ubi quæ in *Erotematis Dialecticis* libelloque de *Modis singularia* statuerar, velut quâdam Apologia, ex 23. problematibus constante, tucetur, Promittit ibi & libellum de *inveniendi judicandi que facultatibus*, & *Lectiones suas in univesum Organon cum Latinâ versione*, quas ineditas arbitor fortasse ab auctore conceptas potius, quàm perfectas, Et si antem variationem ordinis adhiberi necesse est, quæ spectat ad probl. 4. quia tamen potissimæ partes complexionibus debentur, huc referemus. Cum libri hujus de *Modis* titulus primum se obtulit, antequam introspeimus, ex nostris traditis calculum subduximus hõc modò: *Modus* est dispositio seu forma syllogismi ratione quantitatis & qualitatis simul: *Quantitate* autem propositio est vel *Universalis* vel *Particularis* vel *Indefinita* vel *singularis*; nos brevitatis causa utemur literis initialibus: U. P. J. S. *Qualitate* vel *Affirmativa* vel